



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dictamen Illustrissimi ac Reverendissimi P. Mag. Fr.
Gabrielis Adarzo de Santander, Episcopi Viglevanensis,
Ad Interrogata respondens Circa Exclusivam, quandoque
à Principibus interpositam, ne ...**

Adarzo, Gabriel

Francofurti, 1660

[§. IV.] Diligentiae à Sacris Electoribus adhibendae ante Electionem pro
obtinenda notitia sufficienti de digniore & indigno.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10517

S. IV.

Diligentia necessario adhibenda à Sacris Electoribus ante Electionem, pro obtinendâ sufficienti notitia de indigno & de digniore.

AD quaestionem ergo accedendo : supposito quòd Eminentissimi Cardinales, ex vi sui muneris electoralis, tenentur sub poena damnationis aeternae, suffragium dare magis digno, attentis circumstantiis praesentis indigentiae universalis Ecclesiae, cui providendum est de Pastore:

Dico primò: Eminentissimi Electores, quando ¹² proximè sunt ad Electionem, tenentur altâ mente perpendere, qualis sit praesens necessitas Ecclesiae universalis, ut eidem valeant de magis digno providere Pastore. Hæc conclusio est clara, & deducitur ex dictis.

Dico secundò : tenentur etiam omnem dili- ¹³ gentiam adhibere ut perfectam consequantur notitiam de qualitatibus, moribus & affectionibus, tam publicis quàm privatis eorum, qui circumferuntur proximiores Electioni passivæ. Probatur; quia si id omitterent, praesumeretur, eos velle cæciter
K 3 proce-

procedere, & consequenter culpabiliter in negotio gravissimo, quod absit.

*Si adest Exclusiva, audiri & excipi
debet.*

14 **D**ico Tertio, licite possunt, immò debent Eminentissimi Electores audire Ministros Principis Exclusivam repræsésentantis.

Probat; nam Electores ratione sui muneris, sunt Iudices de majori dignitate eligendi; Ergo debent habere notitiam perfectam, non in abstracto, & in genere de qualitatibus constituentibus majorem dignitatem, & de vitijs eam evertentibus, sed debent habere notitiam in cōcreto de illis, hoc est, de eo, quòd Cajus (quem eligere desiderant) habeat prædictas bonas qualitates, & careat vitijs nocentibus hîc & nunc: Tunc sic; sed de eo, quòd Cajus careat vitijs contrarijs bonis illis qualitatibus hîc & nunc desideratis, non est facile, immò est difficile, habere perfectam notitiam, si elector tantum innitatur communi & familiari consuetudini: & ex aliâ parte, facillimum est illam habere, si audiat Exclusivam repræsésentantem. Ergo tenetur elector, ne cæciter & culpabiliter procedat, audire Ministros Exclusivam inter-